

Christian Kortholt    Theodor Röling

## **De Processu Disputandi Papistico Diatribe**

Rostochii: Kilius, 1663

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740036092>**

Druck    Freier  Zugang



R u Mus 1663.

Christian Kortholt/e  
Vort.: Theodor Röllingius







XIX  
5

D E

PROCESSU  
DISPUTANDI  
PAPISTICO

Diatribes,

*Quam*

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

PRÆSIDE

CHRISTIANO  
KORTHOLT,

S. Theologiæ Doctorando & P. P.

*publice,*

in Auditorio Majori,

ad diem

*ventilandam proponit*

THEODORUS RÖLINGIUS,

Osnabruga - Westphalus.

☉ ( o ) ☉

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. clb loc LXIII.

*Makina Rev. u. Cyrill. Dn. D. Jos.  
Reimboll, Inprimi. Gen. de. 1762*



D B

PROCESSU

DISPUTANDI

PARISTICO

Disputatio

Qua

IN ACADEMIA ROSTOCHENSI

PRAESENTATA

CHRISTIANO

KORTHOFF

2. Theologiae Professori

in Anwesenheit

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

THEODORIS ROLINGII

Ordinarius Professoris

1770

ROSTOCK

Typis Joannis Christiani Andree in Rostock





DE  
PROCESSU DISPUTANDI  
PAPISTICO  
Diatribes.

I.



Am inde ab aliquot annis id egerunt Pontificiæ religionis patroni, ut eorum, quæ ipsi affirmant, nos vero negamus, probationem a se alienam ostenderent. Testes inter alios advocare possumus Antonium Fabrum, Gonerium, Arnoldum, Veroniam, Nihusium; qui se suosque non teneri ajunt ad probationem eorum, quæ ipsi doceant & affirmant, quoniam cum majoribus suis ab aliquot

seculis fuerint in possessione suorum dogmatum, suasque adeo de religione opiniones & sententias usuceperint sive præscripserint.

II. Ubi non injuria quis miretur, tanto conatu onus probandi a se amoliri viros ingenio alioqui & eruditione minime destitutos, ut recepto & ab omnibus Theologis hucusque frequentato disputandi modo diffisi, ad Jureconsultos confugiant; quasi videlicet de Christianæ fidei articulis ex legibus XII tabularum, vel Romani senatus consultis, vel plebis scitis, vel Prætorum edictis, arbitrari liceret, aut, quæ ex legum civilium præscripto de possessione & præscriptione Juris interpretes docent, ad opiniones, doctrinas, & religionem extendi oporteret.

III. Equidem, si ex arte illa nova, quam Nihusius commentus est, disputantium partes metiendæ forent, non sane præter rem probandi

A

bandi



bandi munus quivis prudens declinaret. Methodus quippe hujus artis in eo consistit, ut, qui cum antagonista in arenam descendere vult, suas & affirmantes & negantes probare teneatur, & quidem unico syllogismo, sed tali, qui tum quoad consequentiam, tum quoad præmissas, concessus sit, sive, ad cujus neutram præmissam adversarius possit regerere: *non liquet*, vel, *non admitto*: & ita nullum afferre debeat profyllogismum, sed illico, ubi audierit, *non liquet*, vel *non admitto*, causam & victoriam adversæ parti cedere. Quo pacto quam iniqua & misera sit opponentis sive argumentantis & probantis conditio, videt quivis.

iv. Verum enim vero, si iudicio non fallor, probandi necessitatem ideo cum primis excutere satagunt Pontificii, quod satis comperitum habent, quantis & quam inextricabilibus se difficultatibus involvant, si quando dogmata, quæ seorsim a cæteris Christianis ipsi amplectuntur, firmare velint; dum scilicet impedire nequeunt, quo minus omnis, quam moliuntur, probandi & demonstrandi vis in orbem tandem abeat, desinatq; in petitionem ejus quod est in principio. Quod ut manifestum evadat, processum disputandi & probandi Jesuitis usitatum paulo diligentius hac vice in considerationem vocare libet.

v. Docent nimirum illi, uti notum est, Pontificem Romanum in definiendo infallibilem esse, sive in iis, quæ ad fidem & religionem spectant, prorsus errare non posse, quando ex cathedra aliquid determinat. Quia vero hoc dogma ita comparatum est, ut omni prorsus probabilitate destituatur: (quis enim, nisi mente captus, sibi facile persuadebit, homines, quos *apostolicos apostaticosve potius quam Apostolicos esse*, ipse eorum cliens, idemq; acerrimus Protestantium hostis, Gilbertus Genebrardus, fateatur, in dijudicandis religionis dogmatibus esse infallibiles? quis verosimile existimabit, ab auctoritate & arbitrio hominum, quos ipse Cardinalis Baronius *vita turpissimos, moribus perditissimos, usquequaq; sædisi nos, fures, latrones, ut Apostolica navis fluctibus obruta penitus mergeretur operam dantes*, imo *monstra visu horrenda* proclamat, certitudinem universæ doctrinæ Christianæ suspensionem esse? quis deniq; credet, hominem, qui *sæpe & sæpius coram diversis Prelatis & aliis honestis & probis viris pertinaciter dixit, asseruit, dogmatizavit & adstruxit, vitam æternam non esse, neq; aliam post hanc, animam hominis cum corpore humano mori & extingui ad instar brutorum; mortuum semel esse*

lib. 4. Chronogr.

ad ann. 897.

n. 4. an. 899.

n. 3. an. 900.

n. 3. 6.



esse in novissimo die minime resurrecturum; qualis fuit, Concilio Constantiensi teste, Papa Johannes xxiii; non posse in rebus religionem & fidem concernentibus falsa docere sive definire?) quia, inquam, ante memoratum Jesuitarum dogma prorsus tale non est, cui nude tantum ita proposito assensus præberi possit, licitum utiq; erit in examen id vocare, ejusq; probationem petere, quin ipsas probationes attentius considerare, & num validæ satis sint, inquirere. Si enim Berrhoënsibus licuit, quæ Paulus & Silas prædicaverant, examinare num ita se haberent, quis nobis vitio verter, si eorum, quæ in Papatu docentur, fundamenta postulemus? Oportet proinde assertionem suam ut Jesuitæ probent, & rationes, ob quas, quod Romanus Pontifex in definiendo infallibilis sit, credi velint, in medium proferant.

Act. 17, 16

vi. Et solent sane, qui veteri disputandi modo inhærere, quam in novo Nihusii aut Fabri artificio causæ suæ præsidium & firmamentum querere consultum magis ducunt, ex scriptura sacra, & quidem ex verbis Christi, quibus Simonem affatur: *Tu es Petrus, & super hanc* Matth. 16,  
*petram ædificabo ecclesiam meam; item: pascere oves meas;* 18. Joh. 21,  
probationem petere. Unde tale nascitur argumentum: 16. seq.

*Quidquid scriptura sacra docet, id ita se habet;*

*Sed, quod infallibiliter verum sit, quidquid Pontifex Romanus definit, scriptura sacra docet;*

*Ergo id ita se habet; vel: Ergo, quidquid Pontifex Romanus definit, est infallibiliter verum.*

vii. Quod majorem hujus argumenti propositionem pro primo principio non agnoscant Pontificii, satis constat. Nam juxta ipsos *scripturæ* autoritas in ordine ad nostram cognitionem sive apprehensionem dependet ab autoritate *ecclesiæ*; seu, ideo credimus, & inde novimus, verum esse quidquid scriptura sacra docet, quod illud testatur & dicit ecclesia. *Quod scriptura docet, est infallibiliter verum; hanc ego propositionem veram esse non nego: sed nego esse primum principium doctrine fidei, Christianæ, in quod nimirum ipsa ultimo resolvatur,* inquit Jesuita Augustinus Turrianus in Colloquio Hemelsburgi ipsum inter & Georgium Calixtum olim habito, ac non adeo pridem edito. Quibus mox subjungit argumentum: *Cujus autoritas in ordine ad nostram cognitionem pendet ab alia autoritate, id non potest dici principium, scilicet primum in compositione, & ultimum in resolutione. Sed scripturæ autoritas*



autoritas in ordine ad nostram cognitionem pendet ab alia auctoritate. Ergo scripturæ auctoritas non potest dici principium fidei & religionis, scilicet primum in compositione, & ultimum in resolutione. Per istam aliam auctoritatem vero, a qua auctoritatem scripturæ dependere dicit, intelligit auctoritatem ecclesiæ, quemadmodum ex subsequenti patet. Ita Jacobus Gretserus, in tractatu de quæstione: Unde sis? cap. vii. Ecclesiæ, inquit, suo testimonio scripturæ auctoritatem & debitam existimationem apud homines conciliat, at adq. eo ratione nostræ scripturæ auctoritatem indit. Similia leguntur apud alios istarum partium scriptores.

ix. Ubi tamen observabis, quando a Pontificiis nominatur ecclesiæ, ejusque infallibilitas & auctoritas jactatur, non latere sub augusto illo nomine alium, quam solum Romanum Pontificem. Nec id dissimulare solent ipsi Jesuitæ, ut mirari subeat, adeo pertinaciter hoc in Colloquio Hemelsburgensi paulo ante memorato negasse Augustinum Turrianum. Gregorius de Valentia, postquam asseruisset, ut quis veritati revelatæ assentiatur, requiri propositionem ecclesiæ, mox subjungit quæ sequuntur: Oportet inprimis explicare, quid in hac assertionem intelligamus nomine ecclesiæ. ----- Hoc autem ut declaremus, quædam ponenda sunt hic ut certa, videlicet, ----- ecclesiam esse cæterum omnium fidelium, Hos non omnes auctoritate esse pares, sed esse in ecclesiâ peculiarem potestatem sive auctoritatem divinitus institutam, qua fideles tum doctrina, tum præceptis informantur. Hanc auctoritatem PLENE in Romano Pontifice, Christi Vicario & S. Petri successore, residere, qui scilicet de fidei & morum controversiis, ad universalem ecclesiam pertinentibus, vel per se, vel una cum generali Concilio sufficienter constituat. Et denique, ejus auctoritatis usum adeo Spiritui sancto curæ esse, ut in iis, quæ ad fidem & mores fidelium constituendos pertinent, nullus error contingat. Jam igitur, cum dicimus, propositionem ecclesiæ esse conditionem necessariam ad assensum fidei, nomine ecclesiæ intelligimus ejus caput, id est, Romanum Pontificem, per se, vel una cum Concilio, ex prædicta auctoritate propositiones fidei fidelibus declarantem. Quamvis enim Romanus Pontifex per se, aut cum Concilio, non sit tota ecclesiæ, ut ecclesiæ dicitur congregatio omnium fidelium, nihilominus ecclesiæ totum quoddam seu corpus mysticum est, & toti recte attribuitur munus propriè pertinens ad aliqua ejus membra, & præsertim ad caput; idcirco rectè quoque hæc propositio, pertinens ad Romanum Pontificem, per se, aut una cum Concilio, de fide statuentem, dicitur propositio ecclesiæ, a doctoribus.



*avoribus.* Haecenus Valentia Tom. III in Thomam, Disp. I, qu. I, punct. I. Ne vero quis existimet, Jesuitas, quando nomine *ecclesie* se intelligere ajunt Pontificem, per se, *vel una cum Concilio*, etiam Concilio in se spectato, & quatenus tali, infallibilem auctoritatem tribuere, superioribus istis annectere placet, quæ habet Martinus Becanus, Jesuita primæ classis. Ita videlicet ille, in opusc. de Circulo Calvinistico §. XIII: *Dico, Concilium æcumenicum legitime congregatum & approbatum, in quo quasi tota ecclesia representatur, habere etiam infallibilem auctoritatem.* Hoc ex dictis (ex assertione scilicet §. XI proposita) sequitur, quia si *Papa, qui est aput ecclesie, infallibilis est, cur non cætus Episcoporum, quibus Papa cum auctoritate præsidet?* Clarius adhuc Bellarminus lib. I vde Romano Pontifice cap. III: *Dominus, ait, soli Petro dixit: Oravi pro te, & pascere oves meas; non dixit hæc Petro & Concilio.* Item solum Petrum vocavit *petram & fundamentum*, non Petrum cum Concilio. Ex quo apparet, totam firmitatem Conciliorum legitimum esse a Pontifice, non partim a Pontifice, partim a Concilio. Idem Cardinalis eodem loco cap. II, *communissimam opinionem ferre omnium Catholicorum (Pontificiorum) esse ait, infallibilitatem non esse in cætu Consiliariorum, vel in Concilio Episcoporum, sed in SOLO Pontifice.* Jacobus Gretserus, Tom. I Defens. Controv. Bellarmini, lib. III, cap. X, postquam verba Whitakeri: *Per ecclesiam intelligunt Papistæ Patres & consentientes Patrum sententias*, produxisset, *mentitur Calvinista*, subjungit, *suisque sumos & nebulas vendit.* *Per ecclesiam enim, quando ecclesiam dicimus esse omnium controversiarum fidei judicem, intelligimus Pontificem Romanum, qui pro tempore præsens naviculam militantis ecclesie moderatur ac gubernat.* Imo ipse Gregorius de Valentia satis perspicuum verborum suorum interpretem agit, quando prælaudato loco, punct. VII, §. XLIV: *Quæstio est, inquit, qualem & quantam auctoritatem habeant Concilia, in iis rebus, quæ ad fidem spectant, determinandus.* Cui quæstioni breviter duabus assertionibus responderi potest. *Prima: Nullum Concilium infallibilem auctoritatem definiendi per se habet, seclusa Romani Pontificis approbatione. Secunda: Accedente Romani Pontificis confirmatione, Concilium quodvis est infallibile.* Vides, quidquid in conciliis statuitur auctoritatis & infallibilitatis, juxta doctrinam Jesuiticam non competere iis præcise ac in se spectatis, sed in quantum a Pontifice ejusque approbatione robur suum obtinent. At plura hujus census testimonia in medium afferre quid opus est, cum res ipsa in se satis superque



evidens sit & manifesta? Scilicet, dicunt Jesuitæ, ecclesiam in rebus fidem concernentibus esse infallibilem, & tamen negant, infallibilitatem illam competere singulis ecclesiæ membris seorsim sumptis, sive singulis fidelibus; negant, eam reperiri in singulis Doctoribus privatis; imo negant, ipsa Concilia, sive universalia sint, sive particularia, ab errore immunia esse, si præcise in se considerentur & secluso Pontifice. Cum itaque præter jam enumeratas partes nulla alia in ecclesia dentur nisi Pontifex, oportebit sane in illo solo residere, quidquid est in universa ecclesia infallibilis autoritatis. Quandocumque enim aliquid removeretur ab omnibus partibus cujusdam totius præterquam ab una, hoc ipsum soli isti uni parti competit. Verbi causa, si ex septem, vulgo sic numeratis, Planetis aliquis scintillat, & vero nec Saturnus, nec Jupiter, nec Sol, nec Venus, nec Mercurius, nec Luna, scintillat, sequitur Martem, & quidem solum, scintillare. Quandoquidem ergo *ὡς ἀπαρτυσία* omnibus membris & partibus ecclesiæ denegant Jesuitæ, præterquã uni Pontifici, irrefragabiliter sequitur, solum Pontificem, in iis quæ ad fidem & religionem spectant, infallibilem esse, prorsusque errare non posse, secundum quidem doctrinam & hypothesen Jesuitarum. Unde tandem luce meridiana clarius patet, utut Pontificii scripturæ autoritatem in ordine ad nostram cognitionem dependere dicant ab ecclesia, aliter tamen id accipi non debere, quam quod dependeat a solo Pontifice, cujus autoritas hominem proxime moveat, ut credat, vera esse quæcunque scriptura docet.

ix. Has Papistarum fraudes jam suo tempore animadvertit & detexit Martinus noster Lutherus, cujus verba sunt, in opusculo contra bullam Antichristi, Tom. I Jen. f. 345. b. Tom. VII Witt. f. 44. a. Die Papisten machen aus der Bepflichten Gewalt / wenn und wo sie wollen / eine Christenheit oder Christliche Kirche. Und das thun sie darumb / denn dieweil sie wissen / und war ist / das die gemeine Christliche Kirche (das ist / alle Christen sãmpflich in aller Welt) nicht irren mag / schmieren sie uns das Maul / und auff das ire blinde Furschläge von dem armen Volck werde für untrig / gewisse / Christliche Warheit angenommen / geben sie für / was sie also durch Bãpstliche Gewalt / der irren mag / eintragen / hab die Christliche Kirche / die nicht irren mag / eintragen : sol allein darumb nicht getrret sein / das der Bapst inen zu gefallen  
2. Pet. 2, 3. ist. Füren uns also mit der Nasen / und als S. Peter hat von ihnen gesagt /



sagt / mit falschen ertlichen Worten / nach ihrem Geiſt / mit uns hand-  
chieren / das wir den irrenden Pappſt ſollen die unirrende Chriſtenheit  
heiſſen und verſtehen laſſen.

x. Quia itaq; ceu ex dictis patet, omnis ſcripturæ autoritas  
quoad nos, ſeu in ordine ad noſtram cognitionem, ſecundum Jeſuitas  
dependet ab autoritate Romani Pontificis, hinc, ſi quæras, unde de  
propositionis majoris, quæ Num. vi allata eſt, veritate indubitato ipſis  
conſtet, ulterius argumentando ſic procedunt:

*Quidquid Romanus Pontifex deſinit, eſt inſallibiliter verum;*

*Sed quod ea, quæ ſcriptura docet, ita ſe habeant, Romanus Pontifex de-  
ſinit;*

*Ergo id eſt inſallibiliter verum; ſeu: Ergo ea, quæ ſcriptura docet, ita ſe  
habent.*

Ubi vides, *majorem* principalis ſyllogiſmi probari per ejuſdem *conclu-  
ſionem*, quæ in proſyllogiſmo fit proſiſtitio *major*: cujus, utpote ma-  
xime controverſæ, probationem ſi iterum polcas, rursus aſſumitur lo-  
co probationis *concluſio* precedentis ſyllogiſmi, atque ſic in orbem ma-  
niſeſto reditur.

xi. Præterea nec minor ſyllogiſmi principis ita ſe habet, ut citra  
ulteriorem confirmationem ei aſſentiri queamus. Licet enim Ro-  
maniſtæ ex modo laudatis Chriſti verbis illam probare contentur, no-  
bis tamen integrum non eſt, eum ſenſum, quem adverſarii urgent, inde  
ertere, ut qui aſſequi haud poſſumus, quo modo ex eo, quod Salvator  
dixit Simoni: *Tu es Petrus; & Petre, pascè oves meas*, neceſſario ſequa-  
tur, Fabium Chriſium, ſive Alexandrum vii, in iis quæ res fidei attinent,  
errare & labi non poſſe. Et quid mirum, nobis de ejuſmodi ſenſu ver-  
borum Salvatoris certo non conſtare, cum inter ipſos Pontificios mi-  
nime deſint, qui heic Jeſuiticæ interpretationi dicam ſcribant? Alpho-  
ſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, vir, iudice ipſo Bellarmino, libi  
de ſcriptor. eccleſiaſticis p. 287. *ſanctitate & doctrina celeberrimus*, quæ-  
ſtione LXVI I in caput xv i Matthæi, ita loquitur: *Dicendum, quod, acci-  
piendo proprio fundari vel edificari eccleſiam, non eſt verum quod ſuper Pe-  
trum ſit edificata. Nam id ſuper quo edificatur, eſt fundamentum, & ſic  
Petrus diceretur fundamentum eccleſiæ. Sed falſum eſt, quia ſolus Chriſtus  
eſt fundamentum, 1. Cor. 3. ſcil. fundamentum enim aliud nemo ponere po-  
teſt præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Etiam ipſe ſolus eſt  
caput*



caput ecclesie; nos autem omnes sumus membra, ut colligitur 1. Cor. 12 & Eph. 4. Petrus ergo membrum est, & non caput ecclesie, nec fundamentum. Secundo patet, quia cum ecclesia immortalis maneat, quia portæ inferi non prævalent adversus eam, ut patet in litera; necesse est, quod fundamentum suum sit magis immortale, & tamen Petrus non fuit simpliciter immortalis in se, nec in successoribus Petri. De Petro patet, quia post hæc dicta negavit Dominum ter, in quo Satanas prævaluit contra ipsum, & sic jam portæ inferi prævalerent contra ecclesiam, cum prævaluerint contra fundamentum, evertendo illud, & tamen nunquam prævaluerunt contra ecclesiam: ergo non erat fundamentum Petrus ecclesie. De successoribus Petri patet, quia multi eorum, & jam canonicè intrantes, prolapsi sunt in hæresim, & alii in cultum idolorum, & possunt per ecclesiam deponi & condemnari, quando inveniuntur a fide devii, ut in Decreto 40. Dist. capitul. Si Papa. Ergo ecclesia non errat, & Papa errat. Et tamen, si Papa esset fundamentum ecclesie, necesse erat illo deficiente interire ecclesiam. Et non deficit, sed potius errantem Papam corrigit & punit, vel reducit ad veritatem. Ergo Papa non est fundamentum ecclesie, sed ecclesia est fundamentum Papæ, & mater ejus. Hactenus ille. Unde patet, sensum, quem Jesuitæ volunt verbis Christi comprehendere, ne ipsi quidem Tostato, ut ut magno in ecclesia occidentali seculo xv Doctore, (de quo merito scriptum esse Bellarminus ait: *Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.*) fuisse, obvium, nedum ut quisquis, qui verba ista legit vel audit, intelligere possit, iis Petrum constitui fundamentum & caput ecclesie, eiq; conferri infallibilem in definiendo autoritatem: quin ita hæc omnia Petro concedi, ut iisdem privilegiis non minus ejus successores gaudeant, & in præsentem Alexander vii. Quæ cum ita sint, summo jure a Jesuitis postulamus, ut demonstrent, ita, quemadmodum illi volunt, & non aliter, Salvatoris verba esse accipienda & explicanda. Hæc vero de novo ad Pontificem suum, tanquam ad sacram anchoram, confugiunt, cujus determinationem, utpote fallere nesciam, non minus de istorum locorum, quam totius scripturæ, genuino & indubitato sensu animos hominum certos reddere existimant. Ita cum quæsiisset Whitakerus: *De sensu hujus loci (quem pro infallibilitate Pontificis adducunt Jesuicæ) quis judicabit? quomodo sciam ista de Papa dici?* respondet Gretserus: *Vellis nolis, ex ipsius Papæ sententia ac definitione;* Tom. 1. Defens. Bellarm. lib. 111, cap. x, col. 1451. Fitigitur argumentum:

Quidquid



Quidquid Romanus Pontifex definit, est infallibiliter verum;  
Sed scripturam docere, quod, quidquid Romanus Pontifex definit, infalli-  
biliter verum sit, definit Romanus Pontifex;

Ergo hoc est infallibiliter verum; vel: Ergo scriptura docet, quod infallibi-  
liter sit verum, quidquid Romanus Pontifex definit.

En & minorem primarii syllogismi probatam per ejusdem conclusionem,  
quæ iterum majoris loco ponitur in syllogismo tertio, sicut antea major  
erat in syllogismo secundo: ut ita ambe præmissæ argumenti principa-  
lis per conclusionem, quæ ex iis deducta prius erat, vicissim probatæ sint.  
Atque hoc vitium, quo sanè in probando crassius & turpius non datur,  
CIRCULUM appellant.

xii. Ubi tamen monemus, quando crimen istud, quod in  
probando Pontificii committunt, *Circulus* vocatur, terminum *Circuli*  
paulo aliter sumi atque sit apud Aristotelem. Huic nempe *Circulus*  
est, quando conclusio ex certis præmissis deducta, una cum altera ista-  
rum præmissarum simpliciter conversa, assumitur ad probandam ejus-  
dem syllogismi propositionem relictam. Sic enim Philosophus lib. ii  
prior. Anal. statim sub initium cap. v: τὸ ἢ κύκλω καὶ ἐξ ἀλλήλων  
δεικνύσθαι ὅτι τὸ Δαδ ἔστι συμπροσμάτω καὶ ἔστι ἀνάπαιλι ἢ κα-  
τηγορία πῶς ἐτέρω λαβόντα πᾶσι συν συμπροσίνεσθαι πῶς ἰσιπῶ,  
ὡς εἰλαμβαίνεν ἐν ἐτέρω Συλλογισμῶ, *Circulo* & ex se invicem osten-  
dere, est, per conclusionem & alteram propositionem conversam concludere  
altera n propositionem, quæ in superiori syllogismo sumpta fuit. Et qui-  
dem *Circulum* striete sumptum non nisi in reciprocis dari posse idem  
docet, quando paulo post eodem loco: Φανερόν, inquit, ὅτι ἐν μὴ-  
νοῖς τοῖς ἀντιστροφῶσι κύκλω καὶ δι' ἀλλήλων ἐνδέχεται γίνεσθαι πᾶς  
ἀποδείξεις, manifestum est, quod in solu reciprocis *circulo* & ex se invi-  
cem demonstrationes fieri contingat. Gemina his sunt quæ habentur  
lib. i poster. cap. iii: τὰ ἢ μὴ ἀντικατηγορέμεθα ἑδ' αὐτῶς ὅτι δεῖξαι  
κύκλω, quæ non reciprocantur, nullatenus *circulo* ostendi possunt. Ni-  
mirum, ut perfectus *circulus* ad mentem Aristotelis formetur, oportet  
primum conclusionem, dein utramque propositionem, tum &  
conclusionis & utriusque propositionis convertentem monstrari, hoc  
pacto:



<sup>b. f. e.</sup> O. finaliter credens salvatur,	<sup>c. 4. b.</sup> O. electus est finaliter credens;
<sup>c. b.</sup> O. electus est finaliter credens, E.	<sup>a. c.</sup> O. qui salvatur est electus, E.
<sup>c. a.</sup> O. electus salvatur.	<sup>a. b.</sup> O. qui salvatur est finaliter credens.
<sup>c. a. a.</sup> O. electus salvatur,	<sup>a. s. c.</sup> O. qui salvatur est electus,
<sup>b. e.</sup> O. finaliter credens est electus, E.	<sup>b. a.</sup> O. finaliter credens salvatur, E.
<sup>b. a.</sup> O. finaliter credens salvatur.	<sup>b. c.</sup> O. finaliter credens est electus.
<sup>a. 3. b.</sup> O. qui salvatur est finaliter credens,	<sup>b. 6. c.</sup> O. finaliter credens est electus,
<sup>c. a.</sup> O. electus salvatur, E.	<sup>a. b.</sup> O. qui salvatur est finaliter credens, E.
<sup>c. b.</sup> O. electus est finaliter credens.	<sup>a. c.</sup> O. qui salvatur est electus.

Ita omnia ex se invicem monstrata sunt. Et quarto quidem syllogismo major tertiæ (quæ ibi sine probatione sumebatur) quinto minor secundi, sexto minor quarti, & major quinti syllogismi ostensa est. Et hoc est quod dicit Aristoteles 1 prior. v: *In iis quæ reciprocantur, omnia ex se invicem ostendi possunt: ut si A. B. C. inter se reciprocantur. Ostendatur enim A. C. per conclusionem & propositionem B. C. conversam: similiter & B. C. per conclusionem & propositionem A. B. conversam. Oportet autem propositiones C. B. & B. A. demonstrari: huic enim soli usi sumus non demonstratis. Si ergo sumatur B. omni C. inesse, & C. omni A. ratiocinatio erit ejus quod est B. ad A. Rursus, si sumatur C. omni A. inesse, A. vero omni B. necesse est C. omni B. inesse. In ambobus syllogismis ista propositio A. C. sumpta est non demonstrata, reliquæ enim ostense sunt. Quare si hanc demonstraverimus, omnes erunt monstrata ex se invicem. Si itaque sumatur C. omni B. inesse, & B. omni A. sumuntur ambe propositiones jam demonstrata, & necesse hinc est, ut C. 7<sup>o</sup> A. insit.*

xiii. Atque ex his nullo negotio nunc liquet quod modo dicebamus, Circulum videlicet, cujus rei aguntur Pontificii, non esse simpliciter eundem cum Circulo quem nobis describit Aristoteles. Primo enim



enim Pontificii non probant præmissas per conclusionem & alteram præmissarum conversam (quod requirebat definitio Aristotelica) sed solam conclusionem sumunt, atque per illam & aliam quandam propositionem de novo assumptam probant præmissas eas, ex quibus antea deducta fuerat illa ipsa conclusio, quæ nunc alterius præmissæ partes sustinet. Deinde processus disputandi Jesuiticus conclusionem principalis syllogismi ponit loco majoris in utroque prosyllogismo, quorum alter primam, alter secundam argumenti principis propositionem stabilire nititur. Juxta Aristotelem vero conclusio in progressu circulari occupat locum majoris, quando inferenda est propositio major syllogismi primi: eadem vero minor fit, quando ostendenda est dicti syllogismi propositio minor. Tandem, ad mentem Aristotelis non nisi propositiones convertibiles in orbem duci possunt, sicut e. antea dictis constat: tales vero haud esse, quas in circulatione sua Pontificii usurpant, videt quivis.

XIV. Utcunque interim sit, hoc certum manet, genus argumentandi, quo in probationibus suis Theologicis utuntur antagonista, iisdem incommodis & absurdis obnoxium esse, quibus laborat processus demonstrandi circularis ab Aristotele reprehensus, eademque rationes, quibus ille demonstrationem, quæ fit per Circulum a se descriptum, impugnatum ivit, etiam adversus Circulum Papisticum militare. Patet id facile cuivis, ea quæ lib. I post. cap. III Aristoteles disputat, consideranti. Ostendit nimirum ibi Philosophus, Circulum in demonstrationibus admitti non posse, primo exinde, quod omnis demonstratio institui debeat ex prioribus & notioribus, fieri autem nequeat, ut idem, respectu ejusdem, prius sit & posterius, notius & ignotius, eodem modo. Argumentum ejus hoc est:

*Quæcunque demonstrandi ratio id infert, quod unum idemque, respectu ejusdem, & eodem modo, prius esse possit & posterius, notius & ignotius, ea merito rejicienda venit ac improbanda.*

*Sed ratio demonstrandi quæ fit per Circulum, est talis, E.*

Majorem dicto loco firmavit Aristoteles. Minor etiam patet. Si enim ex præmissis deducitur & demonstratur conclusio, oportet utique illas conclusionem priores esse & notiores, cum omnis demonstratio fiat per priora & notiora. Quod si vero vicissim præmissa per conclusionem demonstrantur, necesse est, & conclusionem præmissis priorem esse.



atque notiozem. Erit idcirco eadem conclusio, respectu earundem  
premissarum, prior & posterior, notior & ignotior, eodem modo.

xv. Secundam rationem adversus Circulum his verbis me-  
morato loco proponit Philosophus: Συμβαίνει τοῖς λέγειν, κύκλω  
τῶ ἀποδείξει εἶναι, & μόνον τὸ νῦν εἰρημαζόν, ἀλλ' ἐδεν ἄλλο λέ-  
γειν, ἢ ὅτι ἴσθ' εἶναι, ἐκ τῆς εἶναι, accidit eis, qui dicunt circulo de-  
monstrationem esse, non tantum quod nunc dictum est (nimirum, ut ean-  
dem propositionem notiozem & ignotiozem, priorem & posteriorem  
faciant) sed etiam, ut nihil aliud dicant, quam quod hoc fit, si hoc est. Et  
mox: Συμβαίνει, αἰτ, λέγειν τῆς κύκλω φάσκειν εἶναι τῶ ἀπο-  
δείξει, εἶσεν ἔπρον, ἀλλ' ὅτι εἶ αὐτῶ τὸ α εἶσεν, accidit, eos, qui  
circulo dicunt demonstrationem esse, nihil aliud dicere, quam quod A. fit,  
si A. est. Argumentum in forma ita haberet:

*Quicumque demonstrandi modus probat idem per idem, ille negatorius est,  
& omnino repudiandus,  
Sed modus demonstrandi per circulum est huiusmodi, E.*

Minoris veritatem Aristoteles hoc pacto ostendit. Sint termini, sive  
propositiones (has enim hoc loco per terminos intelligit Philosophus,) A. B. C. in quibus duæ illationes fiant, una ab A. ad B. altera a B. ad C.  
tunc si posito A. necessario inferatur B. & posito B. sequitur ex necessi-  
tate C. oportet ut etiam tertia illatio concedatur a primo ad ultimum,  
nempe ut posito A. necessario inferatur C. Si enim B. sequitur ex A.  
quidquid sequitur ex B. sequitur ex A. & cuius est causa B. eius etiam  
causa A. quandoquidem, quod sequitur ex consequente, sequitur etiam  
ex antecedente, & cuius est causa consequens, ejus etiam est causa an-  
tecedens, quod est causa consequentis. Verbi causa: Si ex eo, quod  
omne animal est corpus vivum sentiens, necessario sequitur, omnem ho-  
minem esse corpus vivum sentiens: & ex eo, quod omnis homo est corpus vi-  
vum sentiens, sequitur, Petrum esse corpus vivum sentiens, necesse est ut  
etiam ex eo, quod omne animal est corpus vivum sentiens, inferatur, Pe-  
trum esse corpus vivum sentiens. Hoc supposito Philosophus assumit  
circularem probationem, quæ est ab A. ad B. & a B. ad A. asserens, eun-  
dem locum heic tenere A. postremum, quem antea in tribus terminis  
tenuerit C. ut enim ibi processus factus est ab A. ad B. & a B. ad C. ita  
in Circulo procedi ab A. ad B. & vicissim a B. ad A. Quemadmodum  
igitur



igitur supra  $\rightarrow$  C. inferebatur ex A. quia ex eo illatum erat B. ita in Circulo  $\rightarrow$  A. tanquam illatum ex B. recte inferri ex eodem A. hoc modo: *Quia omne corpus est materiatum, omne quantum est materiatum; & quia omne quantum est materiatum, omne corpus est materiatum; Ergo, quia omne corpus est materiatum, omne corpus est materiatum.* En ridiculo processu idem probatum per idem. Patet vero ex his, *Circulum tandem desinere in apertam & manifestam petitionem ejus quod est in principio.* Quamvis enim ista v. c. conclusio. *Omne corpus est materiatum,* non probetur per se ipsam immediate; quia tamen propositio ea, qua probatur, prius ex illa ipsa conclusione illata est & demonstrata, necessario sequitur, dictam conclusionem per se ipsam probari, saltem *mediate*.

XVI. Atque hæc sunt illa absurda & incommoda, quæ ex demonstratione circulari infert Aristoteles. Eadem vero ex processu argumentandi Papistico sequi, ita manifestum est, ut nulla heic ostensione opus sit. Affirmant videlicet Pontificii, *infallibiliter verum esse quidquid Romanus Pontifex definit.* Quia vero hæc assertio talis est, quæ quam maxime probatione indiget, mediante alio in ejus cognitionem perveniri debet. Demonstrant itaque istam suam propositionem per aliam, & quidem per hanc: *Quidquid Scriptura docet, id ita se habet.* Atque sic posterior hæc propositio in syllogismo fit *major*, prior vero, quæ Pontificiorum est, *conclusio*: quam proinde altera illa posteriori oportet esse & ignotior. Si autem ulterius ex Pontificio quaras, an igitur propositionem illam, quam probationis loco assumptit, talem esse existimet, quæ sibi ipsi fidem faciat, nec aliunde probari debeat, neutiquam id admittet; sed *Scripturæ* autoritatem in ordine ad nostram cognitionem suspendet ab autoritate *Pontificis*; & ita *ma- jorem* argumenti, quo demonstrare volebat infallibilitatem Papæ, probabit per *conclusionem* ejusdem syllogismi, seu istam propositionem: *Quidquid Scriptura sacra docet, id ita se habet,* per hanc: *Quidquid Romanus Pontifex definit, est infallibiliter verum;* quam idcirco precedenti illa notior nunc esse necesse est, cum tamen ante poneretur tanquam ignota. Erit ergo idem, respectu ejusdem, notius & ignotius, prius & posterius, eodem modo; quod erat unum absurdum, ob quod circulari demonstrationi dicam scribebar Aristoteles.

XVII. Sed & alterum incommodum, quod urget Philosophus,



probationem nempe ejusdem per idem, & petitionem ejus quod est in principio, Pontificios effugere non posse, cuius argumentationes eorum consideranti liquere puto. *Scripturam non nisi vera docere*, inde probant, quod Pontifex in determinando sit infallibilis; & vicissim, Pontificem in determinando esse infallibilem, inde ostendunt, quod *Scriptura non nisi vera doceat*. Juxta ea proinde, quæ Num xv ad mentem Philosophi disputata sunt, ita procedimus: Si ex eo, quod Pontifex in determinando est infallibilis, sequitur, *Scripturam non nisi vera docere*; & ex eo, quod *Scriptura non nisi vera docet*, sequitur, Pontificem in determinando esse infallibilem; necesse est, ut etiam ex eo, quod Pontifex in determinando est infallibilis, inferatur, Pontificem in determinando esse infallibilem. Hoc præmissis argumentamur:

*Quicumque probaturus aliquam propositionem, ipsam ipsam propositionem assumit loco probationis, (sive immediate id fiat, sive mediante aliquo syllogismo) committit petitionem ejus quod est in principio;*

*Atqui Pontificii, probaturi suam propositionem: Quidquid Romanus Pontifex definit est infallibiliter verum, ipsam ipsam assumunt loco probationis;*

*Atque Pontificii, probaturi suam propositionem: Quidquid Romanus Pontifex definit est infallibiliter verum, committunt petitionem ejus quod est in principio.*

xix. Atque ita se habet *Circulus*, quem in demonstrationibus suis Theologicis admittunt Pontificii. Reliquum nunc est, ut ea, quæ contra hæc hactenus disputata illi excipiunt, paucis in considerationem vocemus.

xix. Jacobus Gretserus, Jesuita Ingolstadiensis, (quo iniquiorem & maledicentiorum hostem Protestantium ecclesia vix unquam est experta,) cum fateri cogatur, se *circulum*, de quo egimus hucusque, vitare non posse, ut nihilominus suum suorumque disputandi processum quodammodo excuset, dicendum arbitratur, *non omnem circulum esse vitiosum*, putatque id constare exemplo *regressus apodictici*. Videatur tractatus ejus de questione: *Unde sci?* cap. iv. Adeo scilicet sui obliviscitur hic homo, ut, quam in *Defensione libri 1. Bellarm. de verbo Dei*, cap. iv, col. 58. vocaverat *in orbem relabentem delirationem*, eam hæc, veluti legitimam tueri nitatur probandi rationem. Sed hæc sunt, id certissimum profecto est, nimium quantum hallucinari



nari Creterum, quando, *Circuli* crimen elevaturus, ad *regressum apodicticum* provocat, qui sane a *Circulo*, de quo nobis nunc sermo, *dis Alē moōn* distat. Sed ut tota res manifesta fiat, lubet *regressum* paulo altius heic perpendere: hujus enim natura diligenter explicata, quam inepte desperatæ suæ causæ præsidium in eo quærat pars adversa, oppido patebit.

xx. Vocant autem *regressum apodicticum* sive *demonstrativum*, quando prius *causa* ignota ex *effectu* notiori colligitur, postea vero *regrediendo* ex eadem *causa* idem *effectus* demonstratur: quod fit duobus syllogismis, ita quidem, ut *propositio*, quæ *minor* erat syllogismi prioris, *conclusio* fiat in syllogismo posteriori; & quæ ante erat *conclusio*, postea fiat *minor*, *major*e propositione suo loco permanente, sed *conversa*. Verbi gratia:

1.

*Quidquid est capax doctrinæ, est rationale;*  
*Homo est capax doctrinæ;*  
*Ergo homo est rationalis.*

2.

*Quidquid est rationale, est capax doctrinæ;*  
*Homo est rationalis;*  
*Ergo homo est capax doctrinæ.*

Nimirum, ita comparatum est cum cognitione humana, ut plerumque *effectus* notiores nobis existant *causis*, cum illi in propatulo sint, & in sensus incurrant; hæc in occulto sæpe lateant, & toto intellectu vestigentur. Unde fit, ut non raro ab *effectu*, tanquam nobis notiori, progrediamur ad *causam*, tanquam minus nobis notam & perspectam. Quia vero *effectus*, quamdiu ejus *causa* ignoratur, *confuse* tantum & *imperfecte* cognoscitur, sicubi in *distinctam* illius cognitionem pervenire animus est, *causam* quæramus oportet, qua inventa perfecta demum & *distincta* *effectus* notitia nascitur.

xxi. Sunt vero, monente Jacobo Zabarella, circa *regressum* sollicite attendendi distincti processus, ad eum instituendum necessarii, quorum primus est, quo intellectus ex cognitione *effectus* provehitur in cognitionem *causæ*, non ut *causa* illius est, sed ut est aliquid cum *effectu* tali necessario junctum. Quia enim *effectus* est *confuse* tantum nobis cognitus, ideo non potest nobis tradere *distinctam* *causæ* cognitionem;

NOTIÆ



notus enim ipse quod est, non declarat nisi quod causa sit, non tamen ut ipsius causa, quia ipse quoque non est notus ut illius causæ effectus; sed solum ut res quadam ab illo nunquam separabilis; quæ sunt verba Zabarellæ in libro de Regressu cap. iv; qui mox subjungit: *Effectus confuse cognitus non reddit causam cognitam nisi confuse; causa vero confuse cognita, dum ignoratur quid sit, non potest cognosci ut causa.* Hic itaque est primus processus in regressu, quo solam invenimus inherentiam causæ in subjecto proposito, non tamen prout illius effectus causa est, sed ut predicatum quoddam necessarium & inseparabile.

xxii. Secundus processus instituitur, quando mens nostra causam ita confuse cognitam in accuratorem considerationem vocat, qua efficitur, ut exacte intelligamus, id, quod ex effectu notiori antea collegimus, veram illius causam esse. Postquam enim causa inventa est tanquam aliquod perpetuo conjunctum cum effectu, non statim ab ea retrocedimus ad demonstrandum effectum demonstratione  $\text{E} \text{d} \text{o} \text{m}$ , sed necesse est, ut, antequam fiat regressus, media quadam consideratio intercedat, qua in illius causæ, quæ confuse tantum hactenus cognita est, distinctam cognitionem ducamur: quam intervenientem speculationem mentale ipsius causæ examen & mentalem considerationem vocat Zabarella. Quomodo autem instituaturs illa intellectus negotiatio (ut nonnullis dicitur) idem Comes memorato loco cap. v exponit: *Duo sunt, inquit, ut ego arbitror, quæ nos juvant ad causam distincte cognoscendam. Unum quidem cognitio quod est, quæ nos preparat ad invenendum quid sit. Quando enim in re aliquid prænoscimus, in ea aliquid aliud indagare & invenire possumus: ubi vero nihil prænoscimus, nil unquam inveniemus, ut docet Aristoteles in primo capite primi libri posteriorum, & ut optime declarat ibi Themistius in expositione secundi contextus illius capituli. Quando igitur causam illam dari inveniemus, apertus sumus ad querendum & invenendum quid illa sit. Alterum vero, sine quo illud non sufficeret, est comparatio causæ inventæ cum effectu, per quem inventa fuit, non quidem cognoscendo hanc esse causam, & illum esse effectum, sed solum rem hanc cum illa conferendo: Sic enim fit, ut ducamur paulatim ad cognitionem conditionum illius rei; & una inventa conditione juvemur ad aliam invenendam, donec tandem cognoscamus, hanc esse illius effectus causam.*

xxiii. Ultimus tandem processus est, quo ex causa distincte cognita ad distinctam effectus cognitionem perducimur. Quanquam enim



enim omnes processus in regressu incipiant a cognitione effectuum, ut qui magis obvii sunt quam causa, adeoque occasionem nobis ad causas scrutandas præbent, ceu antea dictum: quatenus tamen *ex se ipsis* innotescunt effectus, *confuse* tantum & *imperfecte* cognoscuntur. Hinc si perfectam eorum noticiam haurire volumus, ut in ipsarum causarum naturas inquiramus necesse est, quæ sufficienter cognita distinctam effectus noticiam demum suppeditant. Unde patet, quod illa effectus cognitio, a qua incipit regressus, omnino diversa sit ab ea, in quam idem definit. Qua de re pulchre Franciscus Tolerus Comm. in lib. 1. poster. cap. III. quæst. 1. *Quamvis*, ait, *existentia effectus cognoscatur ante causam, id fit imperfecte & particulariter. At postquam demonstratio (& δῶν) accedit, eum universaliter cognoscimus, & certius & clarius; quod docuit expresse Aristot. 1. post. c. 24. ubi dicit, etiamsi videmus triangulum habere tres angulos, adhuc demonstrationem quereremus, quia id non cognosceremus universaliter nisi demonstratione. Propterea semper demonstratio effectum esse probat, licet cum discrimine: nam aliquando præcessit aliqua cognitio imperfecta effectus. Dices: Si illa cognitio effectus fuit imperfecta & particularis, cum per eam pervenerimus in causam, etiam cognitio cause erit imperfecta. Dico, non ita esse: nam illa cognitio effectus fuit via ad causam inveniendam; tamen ex ipsa causa inventa & aliis intellectus speculationibus perfectius cognoscimus causam, adeo ut per eam regrediamur ad effectum universaliter cognoscendum, quod ignoratum erat ante causam. Ita Cardinalis ille,*

xxiv. Atque ita se habet regressus apodicticus. Unde nullo negotio cernere nunc licet, quid inter illum atque *circulum* intersit. Et initio quidem, quod non plane iidem sint duo isti argumentandi modi, adeo manifestum est, ut neminem, qui rem recte perpendit, de eo dubitare posse existimem. Scilicet in *circulo*, quem Pontificii committunt, ita proceditur, ut primo a duabus præmissis ad conclusionem, deinde ab eadem conclusione vicissim ad præmissas transeat. Conclusio nempe syllogismi principis sit propositio major in utroque prosyllogismo, quorum alter majorem, alter minorem primarii argumenti probat, quemadmodum ex num. x & xi patet: atque sic utraque præmissarum per conclusionem, quæ ex iis deducta prius erat, vicissim demonstratur. Secus vero se res habet cum *regressu*. In illo namque non probatur utraque præmissa prioris syllogismi per argumentum posterius



sterius, sed sola minor: nec conclusio syllogismi præcedentis in subsequenti fit propositio major; sed ponitur loco minoris, eiq; jungitur prioris syllogismi propositio major conversa, sicut ex num. xx liquet.

xxv. Deinde, longe aliam rationem esse regressus demonstrativi quam circuli Pontificiis usitati, adeoque ab illo ad hunc provocari, aut hunc per illum excusari haud posse, inde evidens est, quod regressus iis absurditatibus nequaquam premitur, quibus obnoxius est circulus. Nimirum ex circulari demonstratione necessario sequi, tum, quod idem, respectu ejusdem, eodemque modo, possit esse notius & ignotius, tum, quod idem queat probari per idem, supra ostendimus: neutrum vero incommodum in regressu metuendum. Quantum enim ad prius, utut verum sit, regressum in processu primo ab effectu, tanquam notiori, progredi ad causam, tanquam ad aliquid ignotius; in ultimo vero ab eadem causa, tanquam notiori, regredi ad eundem effectum, tanquam aliquid ignotius: inde tamen non sequitur, per regressum id effici, quod idem possit esse notius & ignotius *eodem modo*: effectus namque, unde incipit regressus, notior est causa, loquendo de notitia *confusa & imperfecta*; causa vero, per quam in ultimo processu demonstratur effectus, est eodem notior, loquendo de notitia *distincta & perfecta*: quemadmodum ex iis, quæ paulo ante de natura regressus allata sunt, abunde constat. Quod vero ad posterius absurdum attinet, nec illud regressui inpingi posse ultro fatebitur, quisquis hujus naturam recte perspectam habet. Regressu videlicet utentes non ita progredimur, ut primo inde, quod v. c. *omne capax disciplinæ est rationale*, probemus, *omnem hominem esse rationalem*; vicissim vero ex eo, quod *omnis homo est rationalis*, demonstremus, *omne capax doctrine esse rationale*; sicut Pontificii per circulum suum inde, quod *Romanus Pontifex est infallibilis*, probant, *verum esse quidquid Scriptura docet*: & rursum ex eo, quod *verum est quidquid Scriptura docet*, probant, *Romanum Pontificem esse infallibilem*: sed longe alii in regressu observantur processus, quos quia supra prolixè satis exposuimus, cum tædio heic repetere nolumus.

xxvi. Tandem nec hoc sicco pede prætereundum est, non eadem de causa circulum Papisticum instituti & regressum demonstrativum, sed ad diversissimum heic collimari finem. Pontificii certe, quando, *Scripturam non nisi vera docere*, inde probant, quod ita de-

finiat



finiat Romanus Pontifex, determinationem Pontificis non habent pro principio essendi in ordine ad veritatem Scripturæ, seu, non hoc volunt, quod Scriptura ita dependeat a Romano Pontifice, ut, nisi ille definiat, verum esse quicquid Scriptura docet, nequaquam ea, quæ Scriptura docet, vera sint: ipsi enim juxta nobiscum fateri coguntur, sacras literas in seipsis spectatas, & cirra illum respectum ad auctoritatem sive ecclesiæ sive Pontificis, esse certissimæ veritatis, & objecto suo per omnia conformes. Sed, quoniam Scriptura magnam sui partem mysteria complectitur abstrusissima, quæ nequeunt humana ratione penetrari, adeoque ejus cum objecto suo conformitas non potest innotescere homini, nisi prius innotuerit, eam a Deo, qui nec fallit, nec fallere potest, esse profectam, hinc si a Pontificio quæram, unde de eo certus sit, quod sacra scriptura ex divina revelatione sit conscripta, & proinde objecto suo ita per omnia conformis, ut falsum ei subesse prorsus nequeat, respondebit, indubitato sibi de his aliunde non constare quam ex auctoritate ecclesiæ, hoc est (ut Jesuitæ in primis explicant) Romani Pontificis, ad eum modum docentis & definientis *Ut juris interpret non dat auctoritatem veramque intelligentiam legibus; sed latentem in legibus extrahit, & quasi in apertum educit: ita ecclesia vel Papa non dat Scripturæ auctoritatem & verum sensum; sed tam illam quam hunc scripturæ inclusum in notitiam fidelium profert, & quidem ita, ut ea in re nec falli, nec fallere queat; in quo aliis quarumcunque artium & facultatum interpretibus longe præstat,* ait Gretserus in tract. *Unde scis?* cap. 1. Satis superque igitur elucet, juxta illos, qui Romanæ curiæ addicti sunt, Scripturæ auctoritatem dependere a Pontifice, in ordine ad nostram cognitionem, sive, auctoritatem & determinationem Pontificis esse rationem, qua intellectus hominis in assensum Scripturæ trahitur, adeoque non nisi principium cognoscendi. Atque sic tandem relinquitur, *circulum,* quo utuntur Papistæ, hunc unice finem sibi habere præfixum, ut *simplicem assensum* gignat, non vero *scientiam*. Postquam enim per hanc propositionem: *Quicquid Scriptura docet, ita se habet,* probarunt, quod *Pontifex Romanus in determinando sit infallibilis,* mox retrocommittentes, & assumptes propositionem modo demonstratam: *Quicquid Romanus Pontifex definit, est infallibiliter verum,* probant, non, quare ea, quæ Scriptura docet, ita se habeant, sed nude tantum, *quod ita se habeant.* Longe vero alius finis est *regressus apodictici.* Is quippe non ideo instituitur,



tuitur, ut nude tantum probetur de re aliqua, quod ita se habeat, vel de attributo quodam, quod subjecto revera insit: sed scopus ejus est, ut scientiam gignat, & cognoscere faciat, propter quod res sit, de qua alioquin, quod esset, nemo dubitabat. Ita v. c. per regressum non demonstratur, quod canis respiret, quod Luna eclipsin patiatur; (hæc enim omnia satis nota sunt, & ipsis sensibus obvia, adeoque non indigent demonstratione) sed quænam genuinæ respirationis hujus & eclipseos causæ sint. Atque hoc est quod ait Zabarella libr. de Regressu cap. viii: *Quamvis regressus sit ab effectu ad eundem effectum, tamen finis demonstrationis non est effectus ipse, sed effectus scientia: hæc enim non eadem est in fine regressus & in principio, quandoquidem a notitia ipsius effectus confusa exordium sumitur, totus autem regressus in cognitione ejusdem definit perfecta & distincta.* Vocat autem cognitionem effectus *confusam*, quando absque causæ cognitione novimus ipsum esse; *distinctam* vero, quando per causam eundem cognoscimus, quemadmodum ex laudati libri capite iv constat. Atque ex his manifestum esse credimus, frustra regressum apodicticum ad excusandum *circulum Jesuiticum* in subfidium vocari, cum diversissima utriusque natura sit & ratio.

xxvii. Sed audiamus, quæ præterea, ex locio suo Tannero transcripta, laudato loco affert Greuterus. *Tunc, inquit, repudiari debet circulus, quando ab eodem prorsus ad idem, nulla interim utriusque variatione, quoad notitia rationem, interveniente, fit regressus; quod tum demum accidit, quando consequens ex antecedente illatum, nulla alia præterquam antecedentis notitia fultum & probatum, mox iterum ad sui antecedentis probationem assumitur. Secus est, quando consequens alio quodam diverso medio innotescit, atque sic demum ad sui antecedentis probationem assumitur. Hoc vero in proposito accidere ita manifestum fit. Quando enim ex infallibili ecclesie propositione, persuadetur alicui fides, sive totius Scripturæ divinæ, sive certæ tantum alicujus partis, de qua dubitat, jam certe illa ecclesie propositio, qua talis, infallibilis non creditur (etiam loquendo de motivo credendi) ex ipsius Scripturæ, quæ suadenda est, infallibili auctoritate; sed vel ex communibus ecclesie motivis, in priori casu, vel ex alterius cujuscumque libri canonici jam antea explorata auctoritate, in posteriore. E converso, quando ex aliquo Scripturæ loco, verbi gratia Math. 16. 1. Tim. 3. suadetur infallibili ecclesie in proponendo auctoritas, jam pro argumento fidem suadente non adhibetur Scriptura, prout præcise ex ecclesie infallibili*



infallibili auctoritate & propositione discitur; sed ut vel ex aliâ Scripturæ  
locis, vel ex communibus motivis fidei, quibus, ut diximus, ipsa ecclesiæ au-  
thoritas quidem, sed non ut infallibilis, & infallibili fide credita, continetur;  
rectissime creditur. Hæc Gretserus. Ex quibus patet, negare ipsum,  
ita processum probandi a suis institui, prout ille a nobis antea descri-  
ptus est, siquidem asserit, quando per auctoritatem ecclesiæ, tanquam  
antecedens, probatur Scripturæ auctoritas, tanquam consequens, aut vice  
versa, non assumi vicissim hoc ipsum consequens ad probationem sui  
antecedentis, in quantum præcise ex illo antecedente deductam est, (quod  
tamen nos supra adstruximus) sed quatenus ex alio quodam & diverso  
medio, v. c. ex communibus motivis, innotuerit.

XXIIX. Verum primo non video, quomodo hæc cohæreant  
cum iis Gretseri verbis, quæ proxime præcedunt in hac ipsa columna  
1888. Ita nimirum habent ista: Rogatur Catholicus, (Pontificus) unde  
noverit, ecclesiam Spiritu sancto infallibiliter regi; non tantum responde-  
bit, se id nosse ex Scripturâ; sed ex verbo Dei, sive scripto sive non scripto;  
utrumque enim verbum testatur, ecclesiam Spiritu sancto regi, & in omnem  
veritatem, absque erroris periculo, duci. Quia vero ecclesia non tantum  
scripto, sed & non scripto Dei verbo testimonium perhibet, atque adeo in-  
fallibilitas verbi non scripti æque nobis innotescit per infallibilem ecclesiæ  
testificationem, atque infallibilitas verbi scripti, dicere quis posset, non ces-  
sare Circulum, licet respondeatur, infallibilem ecclesiæ auctoritatem com-  
pertam & exploratam nobis esse ex verbo Dei tam scripto quam tradito; quia  
in promptu est quærere; unde tibi infallibilitas verbi Dei tam scripti quam  
non scripti constat? respondebitur utique; ex ecclesiæ testimonio: & unde  
tibi hujus testimonii infallibilitas patet? utique ex verbo Dei, seu scripto,  
seu non scripto. Juxta hæc Gretseri quomodo aliter processus institui  
possit ad mentem Pontificiorum, quam a nobis supra factum est; fa-  
teor me non assequi. Qui enim, ecclesiam Spiritu sancto infallibili-  
ter regi, probat ex verbo Dei; & vero rogatus, unde de infallibilitate  
verbi certus sit? eandem vicissim per ecclesiæ testimonium probat,  
annon probationibus suis in circulo, qualem supra nos descripsimus,  
circumagitur manifestissime?

XXIX. Deinde, si eo modo, ut vult Gretserus verbis num.  
XXVII allaris, probandi ac demonstrandi processus instituat, nun-  
quam de dogmatibus Christianis haberi poterit assensus, qui sit fidei



*divina*; assensus, inquam, omnem metum & suspicionem deceptionis excludens, in tantum, ut assentiens quodvis supplicium subire, & centies mori malit, quam vel minimam de semel agnita veritate dubitationem admittere. Id sic ostendo: Dicit Gretserus, quando per auctoritatem *ecclesie* suadetur auctoritas *Scripturæ*, *Ecclesie* infallibilitatem non credi ex ipsius *Scripturæ*, quæ probanda est, infallibili auctoritate; sed ex *communibus ecclesie motivis*: vel, quod idem est, quando ex hac propositione: *Quidquid ecclesia docet, verum est*, tanquam ex principio complexo, deducitur altera illa: *Quidquid Scriptura docet, verum est*; priorem illam propositionem non probari vicissim per posteriorem; sed fidem ipsi conciliari per *communia motiva*, qualia, v. g. sunt, constantia martyrum, miracula, ejusque commatis alia, in quibus recensendis præ cæteris operosus est Gregorius de Valentia Tom. III, Disp. I, qu. I, punct. IV. Jam vero ipse Gretserus, cumque eo cæteri Jesuitæ, fatentur, ex illis motivis, urpote argumentis solummodo *probabilibus*, non generari assensum *immozum & divinum*; sed *opinionem tantum & fidem humanam*. Vide inter alios Gretserum & Valentiam dictis locis, & adde Bellarminum lib. VI de gratia & libero arbitrio cap. I ac III. Oportet proinde assertionem isthanc: *Quidquid ecclesia docet, verum est*; in quantum ejus veritas per *communia motiva* innotescit, non nisi *probabilem esse*, seu ita esse certam in ordine ad nostram cognitionem, ut non excludat omnem formidinem falsi. Quæ cum ita sint, oppido patet, propositionem, quam diximus, ita comparatam non esse, ut ex ea dogmata creditu necessaria sic deduci possint, quo iis assensu immoto & fide Christiana atque divina adhareamus. Quia enim conclusio, etiam ratione materiæ, partem imitatur debiliorem, ita ut, si in alterutra præmissarum certitudinis defectus sit, is quoque in conclusionem redundet: ut, inquam, si, una præmissarum existente certa & immota, altera probabilis tantum & dubia sit, etiam conclusio sequatur tantummodo probabilis & dubia, hinc si in isto syllogismo Theologico: *Quidquid ecclesia docet, verum est: atqui hoc vel illud ecclesia docet: Ergo id verum est*; si, inquam, in hoc syllogismo *major* propositio non est immotæ veritatis, sed tantum *probabilis*, etiam *conclusio* inde emergens alio assensu digna non est quam *opinionis & fidei humanæ*; quidquid etiam sit de *minori*. Quod si itaque de veritate læpius ante dictæ propositionis certo constare debet, necesse



esse est, ut aliunde, quam ex *communibus motivis*, robur ei quaeratur. Unde vero illud desumendum? num ab autoritate *Scripturae sacrae*, infallibile testimonium ecclesiae perhibentis, v. c. Matth. xvi? atqui & ipsius *Scripturae* autoritatem, prout per eam ecclesiae autoritas probatur, ex *communibus motivis* credi Grotius asserit: unde assensus, qui *Scripturae* praebetur, non majoris erit ponderis, quam qui *ecclesiae*. Clarius: Huic propositioni: Quidquid ecclesia docet, verum est; juxta Grotii hypothesen non potest *indubitata & Christiana* fide credi, si vel maxime demonstraretur per hoc principium: *Quidquid Scriptura dicit, verum est*; idque ideo, quia & haec posterior propositio, quando ad probandum illam priorem assumitur, *per communia motiva credibilia* redditur, dicente Grotio; adeoque non nisi assensum, qui *opinionis & fidei humanae*, meretur: Unde sequitur, quidquid ex ea deducitur, *probabile* tantum esse, nec alio assensu, quam qui *opinionis* constat, dignum, cum conclusio nunquam sit necessario vera, quando vel utraque, vel altera praemissarum, dubia est & non satis certa.

xxx. Martinus Becanus, vitium *Circuli declinatorius*, alia via ingreditur. Ita enim ille in opusc. de Circulo Calvinistico contra Patrem, §. xviii, seqq. *Suppono ex Philosophia, Circulum tunc committi, quando hoc per illud, & illud vicissim per hoc probamus, apud eum qui neutrum concedit, & aequae de utroque dubitat. Hinc colligo, Circulum fore, si quis Christianus apud ethnicum, qui nec ecclesiam, nec Scripturam admittit, probare vellet, Scripturam esse infallibilem, quia ecclesia dicit; & ecclesiam infallibilem, quia Scriptura dicit: nam utrumque illi aequae ignorant, aequae incertum est. Contrario non fore Circulum, si unum per alterum probes apud eum qui alterum admittit, alterum negat. Idem nos facimus. Nam Catholicos, qui dubitant de aliqua Scripturae parte, convincimus iudicio ecclesiae, cui se submitunt: Haereticos vero, qui negant traditionem, ecclesiam, Pontificem, convincimus ex Scripturis, quas non negant. Sed ut alia, quae contra hanc Becani exceptionem urgeri possent, missa faciamus, breviter dicimus, illam ad praesens nihil facere, cum non quaeratur nunc, unde huic aut illi dogma aliquod fidei probari queat; (quod sane fieri potest ex quibuscunque concessis, etiam falsissimis) sed simpliciter & absolute, unde de eo Christiano constet; & in quonam Christianus tandem subsistat, fidemque suam, a qua Christianus est & dicitur, fundet.*

xxx. Gre-



xxx i. Gregorius tandem de Valentia, quo pacto, ne in probandis fidei dogmatibus vitiosus circulus committatur, procedendum sit, ita exponit Tom. III, Disp. I, qu. I, punct. I: *Si quis rogetur, v. c. quare credat, Deum esse verum & unum? distinguat, utrum sermo sit de causa ipsius fidei secundum se; cur videlicet firmiter & infallibiliter id credat: vel de causa, ob quam acceptaverit eam fidem. Si primum; respondeat, quia Deus revelavit. Si rursus interrogetur, unde cognoscat, Deum revelasse? respondeat, se quidem non nosse id clare, credere tamen eadem fide infallibiliter, & id quidem non ob aliam revelationem, bene tamen ob infallibilem propositionem ecclesie, tanquam ob conditionem ad id credendum requisitam. Si rursus: unde cognoscat, propositionem ecclesie esse infallibilem? similiter dicat, se clare non nosse, credere tamen fide infallibili ob revelationem Scripturæ, testimonium perhibentis ecclesie; cui revelationi non credat ob aliam revelationem, sed ob se ipsam, quamvis ad hoc ipsum opus sit ipsa ecclesie propositione, ut conditione requisita.* Quibus certe prima fronte manibus pedibusque in nostram sententiam ire videtur Valentianus. Nam & nos ipsi haud inviti largimur, oportere occasionem aliquam dari, quæ sit conditio, sine qua fides habita non fuisset; neque adeo negamus, ecclesiam Scripturas proponentem ut plurimum, ac vice fungi: quanquam ad solam ecclesiam id restringendum minime sit, cum occasiones credendi non sint unius generis, sed aliæ alios movere possint, ut autoritas parentum, Scripturas liberis proponentium & commendantium (quæ hodie plerisque prima est occasio credendi sive assentiendi) miracula, constantia martyrum. Quod si ergo Gregorius de Valentia serio & ex animo statueret, assensum, quo fidei dogmatibus firmissime, & excluto omni deceptionis metu, adharemus, ultimo resolvi in revelationem divinam, & ecclesiam in ordine ad hujusmodi assensum non habere rationem veræ causæ, sed esse tantum conditionem præviam, diceret omnino quod res est, & circuli vitium evitaret.

xxx ii. Verumenimvero, si penitius ejus textum inspiciamus & consideremus, apparebit sane, ipsum verbis quidem revelationi divinæ, reapse autem ecclesie, hoc est, Romano Pontifici, (vide supra num. IIX,) tribuere, quod sit ultima causa & ratio credendi. Quod ut manifestum fiat, argumentamur:

*Quicumque revelationi divinæ non tribuit vim quandam, per quam munus*  
*causæ*



*causa & ratio credendi ultimæ obeat, & intellectum per se, independentem ab alia priori ratione credendi, in assensum sui moveat, is eandem non agnoscat serio & ex animo pro ultima causa & ratione credendi;*

*Atquæ Gregorius de Valentia revelationi divinæ talia non tribuit, E.*

Major per se patet. Sed & minor facile probatur. Equæ enim, sodes, est illa vis & causalitas, quæ influxus, quæ ratio movendi, quam revelationi divinæ tribuit Valentianus? Equidem videtur ille primo intuitu eidem deferre, quod per se immediate intellectum ad sui assensum moveat, siquidem discrete ait, revelationi scripturæ non credi ob aliam revelationem, sed OB SEIPSAM. At cum duobus tantum modis fieri possit, ut aliquid intellectum in sui assensum trahat, nempe (1) ut cum moveat per sui evidentiam; quomodo, v. c. prima Philosophiæ principia ex sola terminorum consideratione vera esse intelliguntur, (2) ut, cum ob defectum talis evidentia per se solum non possit intellectum ad assensum movere, voluntatem simul tangat, alliciat, & ad sui assensum intellectum imperandum inducat; cum, inquam, istis duobus tantum modis aliquid intellectum ad sui assensum moveat, & vero Gregorius de Valentia neutrum alliciendi modum revelationi divinæ assignet, necessario sequitur, cum non serio & ex animo divinæ revelationi tribuere, quod ob seipsam credatur, vel, quod per se immediate intellectum ad assensum sui inducat. Quod autem neutram movendi rationem divinæ revelationi tribuat, satis liquet. Et quidem rationem movendi per sui evidentiam tantum abest ut ei tribuat, ut potius ipse supra memorato loco conceptis verbis scribat, cum queritur causa & ratio, in quam ultimo fides secundum se resolvitur, non esse laborandum, ut inveniatur ratio vel causa huiusmodi evidens: hoc enim esse inquirere causam fidei, quæ cum natura ipsius fidei pugnet. Ut enim ipsa fides obscura & inevidens in se est: ita etiam causam & fundamentum habere nobis inevidens & obscurum. Quod vero nec posterior alliciendi modus, per Valentianum, divinæ revelationi competat, id sic ostendo:

*Quod est causa ipsius actus credendi secundum se, id, juxta Gregorium de Valentia, non est causa, qua voluntas moveatur ad velle credere; sive ad hoc, ut intellectum ad actum assentiendi eliciendum suo imperio determinet;*

*Acqui revelatio divina, juxta eundem de Valentia, est causa ipsius actus credendi secundum se; E.*

Major manifesta est ex sæpius laudato Valentiani loco, quo circumspice distinguendos esse monet duos processus: alterum, quo de causa ipsius habitus & assensus secundum se considerati inquiritur, & in quem firmitas & certitudo ipsius habitus, & quicquid perfectionis habet, tanquam in causam refertur: alterum, quo non de causa

D.

c certitu-



certitudinis & perfectionis habitus, sed de causa, propter quam homo animum indu-  
xerit velle credere, inquiritur, cum alioqui ipsa ratione seu fundament o habitus se-  
cundum se non impelleretur ad id necessario. Quod si, pergit ibidem, hi duo pro-  
cessus in disputatione de ratione formali sub qua objecti habitus inevidenti confun-  
dantur, errare necesse est, confundendo causam certitudinis ipsius habitus, & causam,  
propter quam homo credere voluerit, & acceptaverit talem habitum; quæ tamen  
causæ omnino sunt distinguendæ. Minor rursus eodem ex loco parer, quando  
videlicet autor, summam resolutionis fidei proponens, interrogatum de causa  
fidei secundum se, v. c. quare credat, Deum esse trinum & unum? respondere  
juber, se credere illud, quia Deus revelavit. Atque ita satis superq; , ut opinor,  
constat, Gregorium de Valentia serio & ex animo revelationem divinam non  
habere pro ultima causa & ratione credendi.

XXXIII. Quod vero propositionem ecclesie sive Pontificis pro tali causa  
agnoscat, hoc modo demonstramus:

Ob quod homo credit firmiter & infallibiliter, Deum hoc vel illud revelasse, id est vera  
causa & ratio credendi;

Jam vero, juxta Valentianum, ob propositionem ecclesie homo credit firmiter & in-  
fallibiliter, Deum hoc vel illud revelasse; E.

Minor habetur in verbis Num. xxxi productis. Major clara est. In eo quippe  
consistit ratio causæ, intellectum ad aliquid credendum inducentis, quod sit id,  
OB vel PROPTER quod aliquid creditur, & per quod, si de ratione actus assen-  
tendi quærat, adhibita istiusmodi causali particula, respondetur. Si ergo  
dicas, te credere aliquid OB vel PROPTER hoc aut illud, fatearis quoque o-  
portet, id, OB quod credis, esse veram causam & rationem tui assensus, & mo-  
vere intellectum tuum ad illum eliciendum. V. gr. si dicas, te credere, Deum  
hoc vel illud revelasse, OB propositionem ecclesie seu Pontificis, necesse est, ut  
propositionem ecclesie sive Pontificis pro vera assensus tui causa agnoscas: aut,  
si non sit vera ejus causa, neque intellectum tuum ad assensum in se eliciendum  
moveat, minus recte habebit tua responsio, si quærenti: cur credas, Deum hoc  
vel illud revelasse? respondeas, te credere illud OB sive PROPTER propo-  
sitionem ecclesie, aut Pontificis. Vide Dn. D. Johannis Muleri, Præceptoris no-  
stri venerandi, tract. de Conversione hominis Disp. VI, cap. 1. Et hæc ad dis-  
cursum Gregorii de Valentia. Unde simul liquere potest, quid ad ea,  
quæ Becanus in tractatu de Circulo §. xxiv in eandem  
rem disserit, veniat respondendum.














*causa & ratio credendi ultima obeat, & intellectus  
 ab alia priori ratione credendi, in assensum sui movendi  
 scilicet serio & ex animo pro ultima causa & ratione credendi.  
 Atque Gregorius de Valentia revelationi divinae talia non tribuit.  
 Major per se patet. Sed & minor facile probatur. Evidentia  
 vis & causalitas, quis influxus, quæ ratio movendi, & quæ  
 tribuit Valentianus? Equidem videtur ille primo intentione  
 per se immediate intellectum ad sui assensum moveat, & ad  
 revelationi scripturæ non credi ob aliam revelationem, sed ob  
 hunc tantum modum fieri possit, ut aliquid intellectum in sui  
 (i) ut cum moveat per sui evidentiam; quomodo, v. c. ut  
 incipia ex sola terminorum consideratione vera esse intel-  
 lectum, defectum talis evidentiam per se solum non possit intel-  
 ligere, voluntatem simul tangat, alliciat, & ad sui assensum  
 inducat; cum, inquam, istis duobus tantum modis intellectum  
 ad sui assensum moveat, & vero Gregorius de Valentia  
 ad revelationi divinae assignet, necessario sequitur, quod  
 modo divinae revelationi tribuere, quod ob seipsam credat  
 immediate intellectum ad assensum sui inducat. Quod ad  
 rationem divinae revelationi tribuat, satis liquet. Evidentiam  
 movendi per sui evidentiam tantum abest ut ei tribuat, ut  
 in eodem loco conceptis verbis scribat, cum queritur causa  
 fides secundum se resolvitur, non esse laborandum, ut inve-  
 nitur modi evidens: hoc enim esse inquirere causam fidei, quæ  
 pugnet. Ut enim ipsa fides obscura & inevidens in se est  
 fundamentum habere nobis inevidens & obscurum. Quod  
 movendi modus, per Valentianum, divinae revelationi com-  
 munitur. Quod est causa ipsius actus credendi secundum se, id, juxta  
 Valentianum, non est causa, qua voluntas moveatur ad velle creden-  
 dum ad actum assentiendi elicendum suo imperio dicitur.  
 Atque revelatio divina, juxta eundem de Valentia, est cau-  
 sa movendi secundum se; E.*

Major manifesta est ex sæpius laudato Valentiani loco,  
 quod movendos esse monet duos processus: alterum, quo de causa  
 secundum se considerari inquiretur, & in quem firmitas & certitudo  
 quicquid perfectionis habet, tanquam in causam refertur:



dependenter  
 non agno-

es, est illa  
 ni divina  
 erre, quod  
 ait, reve-  
 cum duo-  
 at, nempe  
 phiæ prin-  
 cum ob  
 osum mo-  
 imperan-  
 etum ad  
 endi mo-  
 & ex ani-  
 per se im-  
 movendi  
 nem mo-  
 ra memo-  
 am ultima  
 causa hu-  
 ipse fidei  
 am & fun-  
 ior allici-  
 tendo:  
 Valentia,  
 ut intel-  
 edendi se-

ele distin-  
 & assensus  
 abitus, &  
 n de causa  
 certitu-